DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

FEBRIVM VERMINOSARVM PATHOLOGIAM

EXHIBENS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO OBTINENDO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

H. L. Q. C.

DIE XXVI. FEBR. A. MDCCLXXXV.

PVBLICAE CENSVRAE SVBMITTET

SILVESTER CONSTANTINIADES PHILITES

EPIROTA.

GOETTINGAE

Literis FRID. ANDR. ROSENBVSCH.

Γνόντα οὖν χρὴ (τὸν ἰητρὸν) τῶν παθέων τῶν τοιουτέων τὰς φύσιας, ὁκόσον ὑπὲρ τὴν δύναμίν εἰσι τῶν σωμάτων· ἅμα δὲ καὶ εἴτι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν.

HIPPOCRATES praenot. Libr. I.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PROLOQVIVM.

Cum leges academicae ad capeſſendos honores medicos argumenti cuiusdam difficilioris elaborationem expoſcant, inter tot alia, quae medicinae ambitus offert, hoc, quod febrium verminoſarum naturam complectitur, eligere volupe fuit. Dignitatem eius vix vereor, ne quis in dubium ſit vocaturus, quippe cum eiusmodi febres haud raro incidant, genius febrium, quibus ſeſe aſſociant vermes, valde variet, diagnoſis earum ſaepe haud parum obſcura ſit, medela inſuper ſingularem ſollertiam ſibi vindicet, eiusque ſucceſſus aliquando votis noſtris nimium refragetur. Quam difficile vero ſit ad expediendum illud et quantae prolixitatis, indicabunt omnes, qui ipſi eidem rite perſequen-

do

do operam adverterint. Hoc egomet ſub ipſo labore abunde ſentiens, arctare cancellos e re duxi, et ne in luxuriantem ambitionem librum loco ſpeciminis academici conſcribendi inciderem, vel vanis promiſſis operis amplioris et perfectioris, de eadem materie olim compārituri, lectores fallerem, in generalioribus pathologicae harum febrium disquiſitionis ſubſiſtendum putavi. Nolui igitur in ſpecies diverſas harum febrium vel enumerationem affectionum localium deſcendere, multo minus ſingulares aegrorum caſus recenſere, nec de curationis methodo dicere heic animus fuit. In ſinu autem gaudebo, ſi quod, hiſce membris excluſis, ſuperfuit ex febrium verminoſarum hiſtoria penſum, ita a me pertractatum cenſeatur, ut ego et officio meo et exſpectationi lectorum quodammodo ſatisfeciſſe videar.

§. I.

§. I.

Quid ſit febris verminoſa.

Morbus conflatus ex ſymptomatibus, febri cuilibet propriis, et quibusdam eorum, quae a vermibus inteſtinalibus pendent, *febris* vocatur *verminoſa.*

Nexus hic *primo* is eſſe poteſt, quem cauſa cum ſuo effectu habet, febris ſcilicet, qua quis laborat, vermes tanquam cauſam materialem et efficientem agnoſcit. *Deinde* et vermes et febris ab iisdem cauſis originem ſuam trahunt, i. e. cauſae adeſſe poſſunt in hac febre vel in hac epidemia, febrem cuiuscunque indolis ſine vermibus producentes; in alio caſu cauſae vermes tantum generantes, deficiente omni febre; in tertio vero et febrem producentes et ſimul evolutionem ſive generationem vermium promoventes. Non negaverim, quod dum vermes ſoli, vel febres tantum, vel febres ſimul cum vermibus adparent, etiam cauſae per ſe numero gradu diverſitate forte inſenſibili etc. differant. Quae quidem qualitates cauſarum ſub ſenſus non cadunt; quapropter ab obſervatoribus ut cauſae ſibimetipſis ſimiles deſcribuntur. Hinc bene

A monet

§. III.

Variae colluviei verminoſae qualitates.

Haec colluvies verminoſa natura ſua iners, blanda, plus minusve ſpiſſa et viſcida eſt. Id docent cauſae, non minus ſymptomata et aſpectus excretorum per os, ſive per alvum, ſive per aliam quamcunque viam. (Hac in colluvie vermes quietiores eſſe videntur.) Sed id non impedit, quo minus etiam alias affectiones ſibi contrahat. Acris enim evadit citra putredinem, acrimonia fit cuiuscunque indolis e.g. acidae etc. Neque minus eam qualitatem ſibi contrahere poteſt, quam veteres pituitae vitreae annumerarunt, ſi nempe haec diverſa ſupponitur a reliquis acrimoniae ſpeciebus. Putrida denique evadere poteſt, quod frequentiſſime accidit et ex ſententia Fr. Hoffmann fere ſemper febres verminoſas comitatur. Ideo etiam Cel. ille Vir acida tam vegetabilia, quam mineralia valdopere laudat *e)*. Nam frequentiores cauſae colluviei verminoſae, cauſae quoque ut plurimum ſunt putredinis, ea tamen diverſitate, quod putredinem producant, dum vel maiori gradu agunt, vel diutius durant; et tunc a levi occaſione facile oritur putredo. Tum et ipſi hoſtes vita ex quacunque cauſa privati facile putreſcunt, quare et reliqua fluida inquinant et putrefaciunt. Neque ſemper pura manet, ſed ei ſe immiſcere poteſt bilis iners, acris, putrida quantitate vel maiori vel minori. Quod facile videndum in excretis in febribus verminoſis. Sunt enim vomitus pituitoſi, bilioſo-pituitoſi, bilioſi, pu-

tridi.

e) Opera omnia phyſico-medica Tom. III. p. 491. Ed. Genevae 1740.

tridi. Idem etiam de alvi excretione dicere licet. Sanguis quoque immixtus obſervatus eſt. Refert enim Th. Bonnet f) de vidua quadam, quae praeter alia ſymptomata verminoſa et menſtruorum retentione laborabat; propinato vero mercurio vitae eiecit pituitoſam materiam, et quatuor globulos inſpiſſatos, in quibus disciſſis materia nigra apparuit una cum vermibus. Menſtrua interim apparuere. Alii quoque humores excrementitii admiſceri poſſunt, et acrimoniam eius augere, e. g. perſpiratio vel ſudor ſuppreſſus, ut in Cel. Pringle febribus autumnalibus cum vermibus coniunctis. Haec colluviei verminoſae qualitates variae proprios ſuos effectus, ſigna et cauſas, habent, variasque ſpecies febrium producunt.

§. IV.

Eſt ubi aliquando vermes per ſe febres excitant.

Vermes per ſe, nulla habita ratione colluviei pituitoſae, praeter multos morbos chronicos febres etiam et ſymptomata febrilia producere poſſe, tam ipſa ratio docet, quam obſervationibus medicorum primi nominis conſtat. Vermes enim vivi, qui iam in corpore adſunt vel ſponte vel ex quacunque alia cauſa ipſis inimica maxime earum ex numero, quae ad ſex res non naturales pertinent, turbantur, moventur, convelluntur; hinc turbant, vellicant, irritantque primas vias. Quapropter etiam totum corpus. Nam, quod cuicunque notum eſt, latiſſime patet conſenſus primarum viarum cum reliquis corporis

f) Medicina ſeptentr. lib. III. ſect. 16. c. 20. p. 532.

ris partibus. Ex ſola vero irritatione febres quoque originem trahere poſſunt, e. g. febres vulnerariae. Itaque ea lege vermes irritando illas etiam producere poſſe non mirum eſt. Ratio quoque habenda eſt numeri et magnitudinis illorum, nec minus ponderis, quo comprimant et molis, qua primas vias obſtruant. Neque ea, quae febrem eiusdem indolis praeter vermes alias iudicare ſolent, iudicant; ſed interdum allevant ſymptomata mox reditura, et eodem tenore aut vehementius affligentia. Interdum morbus in alium transit, interdum ſanitas quidem revertitur, aſt inconſtans et brevis, quam mox alius ſequitur morbus. Omnia autem evaneſcunt, et ſanitas conſtans, firma et perfecta, redit, ſi vermes ſive per os, ſive per alvum excreti fuerint, etiamſi nulla alia cuiuscunque indolis ſaburra, vel ſaltim parva eius copia eiiciatur. Idem teſtatur Cl. VAN DEN BOSCH *g)* dicit enim: "nonnulli perfecte iudicati ſunt emiſſis vermibus," et paulo poſt, "quod ſi vero diagnoſis conſtaret animata, febri- „que proſpiceretur ſoli, intactis vermibus multo gravius diutius- „que dein aegrotarunt." Ex eodem Cel. auctore exempla colligere poſſumus, quibus docemur, quod febres verminoſae non expulſis vermibus facile ad alios graviores morbos transierint. Inter alia narrat *h)*, febrem verminoſam, ſudore (imperfecte) iudicatam deceſſiſſe, cui poſt brevis temporis ſanitatem paralyſis manus dextrae ſucceſſerit. Haec autem evacuatione vermium eſt ablata. Simile retulit exemplum *i)*, ea quidem diverſitate

g) Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae p. 22. Ed. I. CHR. GO. ACKERMANN. Norimbergae 1779.

h) l. c. p. 43 ſeq. *i)* l. c. p. 77 ſeq. (aegrotus ſecundus.)

ſitate, quod hic apoplexia febrem exceperit. Cel. LENTIN *k)* febrem verminoſam pleuritidem mentientem anthelminthicis derepente abstulit, cuius cauſae, ſi non ex irritamento a vermibus fuiſſet, derepente mederi non potuiſſet. Evidentius hanc ſententiam confirmat obſervatio ALEXANDRI BENEDICTI ter a venerando PETRO FORESTO relata *l)*. "In puella, inquit, „catocho laborante glande ex melle indita ſine ſordibus duo et „quadraginta vermes in globi modum reiecti, unde haec in „vitam rediit." Denique conſentit Ill. DE HAEN *m)* dicens: "vermium in humano corpore frequentiorem eſſe morborum tum „acutorum, tum lentorum cauſam, quam vulgo credatur, ita „ut perſaepe contingat in cura morborum, medicum tam diu „inutilem damnoſumque aegrotantibus eſſe, donec vel ipſe vel „qui ipſi ſuffectus fuerit, infortunioque prioris ſapiens anthel„minthicam curam admoveat, aegrumque ſanet."

§. V.

Non omnes febres vermibus iunctae hoſce cauſam efficientem agnoſcunt.

Aliud eſt febrem producere, aliud iam a quacunque cauſa ortam, additamento alterius cauſae, graviorem, pertinaciorem et maligniorem reddere. Si omnia itaque bene iuſteque perpenderimus, facile comprehendere licebit, febres rarius pro cauſa primaria ſive efficiente agnoſcere vermes, ac illi ſibi per-

k) Obſervationum medic. faſc. I. obſerv. *22.* p. 36. Lipſ. 1764.

l) Obſervat. et curat. medic. lib. VI. obſ. 38. et lib. XXI. obſ. *26* et 28. in ſcholiis.

m) Rationis medendi P. XIV. Tom. IV. p. 203. Lugd. Bat. 1775.

perſuaſum habent, qui impenſiſſime pathologiae animatae favent. Primo quieti et contenti, — ſit venia verbo, — vermes eſſe poſſunt, ſi a nulla cauſa ipſis inimica turbantur, ſi ſatis nutrimenti habent, ſi pituita, quae nidum eorum conſtituit, iners blanda et copioſa eſt, et irritationem a vermibus impedit. Dein irritabilitas et ſenſibilitas verminoſi vel imminuta eſt, vel a natura et temperamento minori gradu exiſtit. Vnde forſan accidit, quod multi homines, quorum corpori vermes inſunt, per totam vitam nil mali ſentiant, eosque inſcii habeant, qui per medicamenta imprimis purgantia fortuito vel alia de cauſa adhibita aliquando expelluntur, vel etiam ſponte per anum ſine ullo incommodo exeunt; vel a morbis acutis turbati prope criſin excernuntur, qui non prodiiſſent, niſi hi morbi adfuiſſent. Haec eſt cauſa, cur Bianchi hos vermes nominet *naturales*, quibus opponit *morboſos*. Quam opinionem erroneam eſſe, egregie demonſtrat Ill. de Haen *n*). Acutiſſimus hicce vir ſimul affirmat, vermes in corpore morboſos eſſe vel ſaltim diſpoſitionem morboſam indicare. Hinc et ſententia eorum refutatur, qui putant in plethoricis bene nutritis, multum ciborum ingerentibus vermes eſſe ſalutares, dum ut illi ſentiunt, partem chyli conſumunt, indeque plethoram imminuunt. Cui viro etiam aſſentiri videntur et Ill. de Roſenſtein *o*), quid „*So lange man ſie (die Würmer) im Körper hat, kan man keine*

„*ein-*

n) Tractatus de vermibus inteſtinorum p. 44. adnexus in T. 2. praelection. Herm. Boerhaav. inſtitut. pathol. Ed. F. de Waſſerberg. Viennae 1780.

o) Anweiſung zur Kenntniſs und Kur der Kinderkrankheiten p. 456. Ed. Ill. Murray a. 1781.

„*einzige Stunde ſeiner Geſundheit gewiß ſeyn*," et Cl. ille BAGLIVIVS quoque inquiens *p*): "dum, vel minima ſuſpicio vermium „eſt, noli tardare in exhibendis remediis. Nam ſaepiſſime ſubito „enecant, non ſolum pueros, aut infantes ſed etiam adultos." Tum vermes ſugunt, moventur, vellicant, brevibus ut dicam, irritant; ſed ab irritatione quoque quam plurimi alii, ſive morbi, ſive ſymptomata non febrilia oriri poſſunt, e. g. ſpasmi, convulſiones, dolores ſpaſtici etc. Denique ipſa auctoritas magnorum docet virorum, vermes non ſemper, imo rariſſime febrium cauſam eſſe efficientem. Ipſe VAN DEN BOSCH *q*), qui ex ſententia Ill. DE HAEN impenſe pathologiae animatae ſavet, "animatam, inquit, potentiam haud adeo ſingulorum morbo„rum ſemper proximam, quam quidem plurimorum ſymptoma„tum haberi velim cauſam." Celeb. TORTI quoque febres continuas et intermittentes, quibus vermes adiunguntur, ſymptomaticas ſive a vermibus pendentes non admittit. Etenim haec teſtatur de febribus intermittentibus, et nonnullis continuis, quibus cortex peruvianus opponitur *r*): "cum non a lumbricis „ſed a conſueto pendeat talium febrium fermento, verum potius „cenſenda erit comitata illiusmodi affectione." Omnium optime hac de re diſſerit acutiſſimus PRINGLE, cui et aſſentiunt, Ill. VAN SWIETEN *s*) et Ill. BALDINGER *t*). Dicit enim Cel. PRING-

p) Opera omnia p. 60. Lugd. 1704.

q) l. c. p. 17.

r) Therapeuticae ſpecialis ad febres period. pern. p. 381. Francofurti et Lipſiae 1756.

s) l. c. Tom. 4. p. 698.

t) Von den Krankheiten einer Armee p. 404 ſeq. 2. Ausgabe. Langenſ. 1774.

Pringle *u*): *"Sowohl Fieber als Ruhren werden oft von Würmern „begleitet, welche nicht als die Urſache dieſer Uebel zu betrachten ſind, „ſondern als ein Zeichen des ſchlechten Zuſtandes der Eingeweide, „einer Verderbniß der genoſſenen Nahrung, und einer Schwäche der „Gedärme, die von der Hitze, der Feuchtigkeit und dem faulen Zu„ſtande der Luft herrühren."* Hinc et ex §. antecedente patet, quod vermes mox ſint cauſa febrium, mox vero, quod ſaepius accidit, tantum comites illarum.

§. VI.

Continuatio.

Pituitae ſive cruditatum in primis viis dominium latius patet, quam illud vermium. Saepe enim in febribus unus vel alter vermis adeſſe poteſt, magna vero copia pituitae inertis aut corruptae, bilis, verbo ut dicam, ſaburrae variae indolis. Quae quot et quantos morbos per ſe citra vermes excitet, obſervationes magnorum virorum ſatis docent. Porro in multis, imo fere omnibus febrium epidemiis, quas verminoſas dixeris, non omnes aegroti vermibus laborant. Auctorum rationes loquendi e. g. *crebro deiiciuntur vermes, plurimi vexantur vermibus etc.* *x*) frequentiam tantum indicare, certiſſimum eſt. Idem teſtantur etiam ii, qui ex profeſſo epidemias verminoſas deſcripſerunt, pathologiae animatae indulgentes, ideoque ſummam attentionem

u) Beobachtungen über die Krankheiten der Armee, I. Theil 1. Kap. p. 9. überſetzt von A. E. Brande.

x) Forest l. c. lib. VI. obſerv. 4 et 5. in ſcholiis. Ill. Huxham opera Phyſico-medica T. I. p. 62. 282. 387. etc. Ed. Reichel. Lipſ. 1773. Pringle l. c. T. 3. c. 4. p. 249. Kloekhof opuſc. med. p. 2. Ienae et Lipſiae 1772.

nem vermibus dantes *y*). Indoles, criſis, et omnia, quae ad eſſentiam morbi pertinent, eadem fuerunt et in verminoſis et in illis aegrotantibus, qui iis carebant. Quorum confirmatio videnda eſt in auctoribus nominatis, ut etiam in Cl. Wagleri libro de morbo mucoſo, qui accuratiſſime eius hiſtoriam deſcripſit, cuius eſſentialia ſymptomata, criſes, exitus etc. eadem fuere tam in verminoſis, quam non verminoſis. Hinc clarus ille vir morbum a ſaburra non a vermibus deſignans, *mucoſum* vocat. Neque accuſari poſſunt auctores, quod non bene vermes in omnibus aegrotis praeſentes obſervarint, cum ab omnibus, accuratiſſimi laudentur obſervatores. Hinc turpis contraria de ipſis opinio.

Neque vermes diſſolvi a febrili calore obiiciendum eſt, quamquam id interdum fieri poſſit. Etenim in cadaverum inteſtinis, hominum febri maligna, flava, Indiae Occidentalis abreptorum, vermes vivi adhuc e teretum genere inventi fuere *z*). (Haec febris ſecundo die ut plurimum aegrotantes trucidabat.) Inſpiciantur quoque ſectiones cadaverum *a*) ab Ill. Roedderero, ſolertiſſimo et experientiſſimo obſervatore, ubi videndum erit, quod in plurimis vermes integri inventi fuerint, etſi morbus poſt diem 14. et ſerius necaſſet; in aliis vero non fuere obſervati, ut in ſectione cadaveris ſecunda p. 255, ubi nullam fecit mentionem vermium. Ventriculus vero, inteſtina, hepar et reli-

y) van den Bosch l. c. §. 12. 13. p. 15.

z) Ill. E. G. Baldinger Sylloge ſelect. opuſc. Vol. I. p. 95. Goett. 1776.

a) Wagler l. c. Sect. 3.

reliqua viſcera ſemper vitiata invenit, non a vermibus, ſed evidentiſſime a muci abundantia et corruptela, qua folliculi viſcerum ſcatebant et foedati fuerant. His quoque addi poteſt praeexiſtentia pituitae in corpore. Nam illa prius adeſſe debet, ut pabulum vermium, quam ipſi evolvi poſſunt. Denique cauſae quae vires ſuas iam exſeruerant, vel nunc operantur, corpus debilitantes, ſaburrae geneſi faventes. Hinc a cauſa occaſionali etiam ante evolutionem vermium febris excitari poteſt. Inde quoque probabile eſt, vermibus aliquid ſingulare et proprium ratione gradus, durationis, diverſitatis cauſarum adeſſe debere, ad promovendam illorum evolutionem, generationem et procreationem.

§. VII.

Vermium ſemper eſt habenda ratio.

Vermes, ſive cauſae, ſive effectus aut tantum comites morborum ſint, ſemper tamen propriam et ſingularem attentionem poſtulant et merentur. De febribus hic mihi ſermo eſt. Quod ſi cauſa febrium ſint, notum eſt, hac ablata, febrem tolli. Vermes autem nunquam cauſam febris proximam eſſe poſſe, ſcio, i. e. quae ad producendum morbum ſufficiat; ſed ſemper remotam, nunc praediſponentem, nunc occaſionalem. Neque me fugit, medicos frequentiſſime unam vel alteram harum remotarum cauſarum tollere, rarius proximam, et tamen morbum tolli. Hoc fieri poſſe et fieri illaeſis legibus Philoſophiae rationalis Cl. Ivnker, vir acuti ingenii mihique amiciſſimus, ſatis nervoſe et ingenioſe defendit et demonſtravit in diſſ. ſua inaugurali *b*).

Quodſi

b) De cauſis aegritudinum therapeuticis. Halae 1783.

Quodſi vero ſint effectus, nempe cum morbus diu duraverit, organa digeſtionis debilitaverit, anſamque geneſi colluviei verminoſae praebuerit, etiam tunc in eos attendatur, neceſſe eſt. Colluvies enim cum ita ſit conſtituta, ut cauſa fiat aliorum effectuum in corpore ingratorum, pergatque ſe ipſam augere; cum porro reſideat in tubo inteſtinali, qui medicamenta recipit, reſorbet et per totam machinam diſtribuit, haec rite fieri nequeunt, niſi hic tubus purgatus fuerit ab omni colluvie. Alias medicamentorum vis deſtruitur, reſorptio impeditur, non rite, ſed imperfecte fit, vel denique medicamenta morbo primario opponenda ita conſtituta eſſe poſſunt, ut cum colluvie verminoſa in corpore ſalvis machinae functionibus coexiſtere nequeant.

Si denique comites tantum ſunt febrium: medicus in quocunque morbo praeſente removet omnia ea, quae morbo fomitem addere poſſunt, evitat cauſas, quae ſupervenire poſſent, vel ſi hoc fieri nequit, mitigat ſaltim, et imminuit, efficaciam illarum morbum augentem; accommodat diaetam, regimen etc. indoli morbi, quantum fieri poteſt. Quae quanquam externa et morbo non eſſentialia, medici tamen ſummam requirunt attentionem. Haec omnia ſi ad vermes iam praeſentes, et morbum comitantes applicentur, hisque addatur, quod vermes partibus ſumme ſenſibilibus inſideant, et reliqua quae ipſis ut animalibus viventibus competunt, probe intelligitur, quod vel eorum eliminatio, vel ſi hoc fieri nequit, nec morbi ſtatus id admittit, eorum mitigatio ſumme ſit neceſſarium. Ill. Pringle, qui non ut cauſam febrium autumnalium eos conſiderat, dicit: "*Sie machten dieſe Uebel, wenn ſie*

 damit

„*damit verbunden waren, ſchlimmer,*" *c*) et alio loco: "*Wie die* „*Krankheit am ſchlimmſten war, giengen bei vielen runde Würmer* „*ab, welche nicht die Urſache der Fieber waren, ſondern, wie ich* „*zuvor angemerkt habe, nebſt andern Umſtänden die Kür aufhiel-* „*ten*" *d*). Sed quod peiorem reddit febrem et medelam impedit, neceſſario removeri vel mitigari debet.

Non omnis etiam medicus in eo acquieſcit, quod aliquid exiſtere videat; ſed ſcire cupit, quare id ita exiſtat. Cum vero vermes in febribus ſua propria ſymptomata excitent, febrilia vero pertinaciora, inordinata etc. reddant, medicus attentus, ad pathologiam animatam eos diiudicans, invenit, et ſibi explicat omnia illa, quorum rationem alias explicare non potuiſſet. Denique a cognita praeſentia vermium ad ſtatum viſcerum abdominalium et alias aegri conditiones certius concludere poteſt medicus, quod auctoritas Ill. Pringle confirmat (cf. §. V. not. u). Ex dictis patebit, quod a praeſentia vermium ad res medico maximi momenti concludere, et facilius nobis explicare poſſimus vehementiam, pertinaciam, anomaliam, paucis μετασχηματισμοὺς morborum et ſymptomatum. Quod quidem quantum iuvet ad indicationes formandas, ad praeſagia facienda, ad tranquillitatem animi medici, unusquisque facile perſpicere poterit. Illuceſcet ſimul, quod vermes ſemper in morbis indicationem largiantur, modo primariam, modo ſecundariam, prouti Wedelius docuit *e*). Merito itaque tales morbi, *verminoſi* vocari poſſunt.

§. VIII.

c) l. c. I. Theil c. 3. p. 28.

d) l. c. T. 3. c. 4. p. 213.

e) Pathol. med. dogm. Sect. 2. c. 5. §. 5. p. 239.

§. VIII.

Febres verminoſae complicatae aut compoſitae ſtatuuntur.

Colluvies verminoſa (§. II.) ſtatum ponit praeternaturalem, (§. V.) quanquam ſub latiorem ſanitatis notionem pertinere poſſit, quum ſcilicet verminoſi ſibimetipſis inſcii et ſine incommodo hoſtem ſecum ferunt. Debile enim exiſtit gaſtricum ſyſtema, vires coctrices non iuſto ſuum officium implent, bilis exiſtit iners, hinc etiam ſanguificatio rite fieri nequit, neque ſolida in ſtatu perfecte ſano eſſe poſſunt, paucis ut dicam, non omnia ita ſanitati reſpondent ac citra vermes. Adeſt itaque ut cum Gavbio loquar *f)* conditio corpori inhaerens, qua illud aptum eſt, nata occaſione morbum ſuſcipere. Quae quidem conditio quanquam de ſaniſſimo praedicari poſſit, tamen nunquam eo eſt in gradu, ac in valetudinario et verminoſo. Etenim in hoc vel minimi gradus occaſio, qua nonnulli ſaltim morbi in minus ſanis procreantur, requiritur ad morbos excitandos, cum in illo vel maxima requiratur, ſi alter cum altero comparetur.

Occaſionem vero ad febrem producendam vel ipſi vermes, irritati a quodam ſtimulo, praebere ſolent. — *Febres* exinde oriuntur *compoſitae;* — vel aliae quaecunque cauſae in corpore verminoſo vim ſuam exſerentes. — *Febres* inde *complicatae* producuntur. — Quacunque ratione haec ſe habeant, ſemper tamen mutatio in ſolidis fluidisque adeſt, ea nimirum, qua febris excitatur. Quae cum ita ſint, pone cauſas agere quae febrem inflammatoriam, putridam, malignam, exanthematicam etc. producant, in verminoſo ſemper complicatio orietur diatheſeos inflam-

f) Inſtitut. pathol. §. 59.

inflammatoriae, putridae, illiusque, qua miaſma exanthematicum iam in corpore conceptum eſt, vel cum colluvie verminoſa. Patet igitur, omnes febres vermibus iunctas, complicatas aut compoſitas nominari poſſe, ex verminoſo videlicet fomite conflatas, et indole febris a determinata mutatione febrili, ſolidorum et fluidorum orta. Haec mutatio vel primario dependet a colluvie verminoſa, et orta, ſuos effectus proprios habet, quibus ſe prodit, manentibus etiam iis effectibus aut paucis aut plurimis, quibus ſe vermes prodere ſolent; vel ſecundario augetur, modificatur a praeſente illa colluvie, tanquam materia corpori inquilina, praeternaturali et morboſa, cuius ſtatus morboſus rurſus augetur a mutatione illa, quae febribus competit. Nullas febres verminoſas ſimplices ea ratione admitto. Febris eſt laeſa affinitas nerveae et inſitae vis cordis arteriarumque cum velocitate ſanguinis. Haec eſt definitio febris amici acuti ingenii mihique amantiſſimi *g)*. Vermes non ſunt febris cauſa proxima. Ad febris cauſam proximam producendam aliud quid adhuc requiritur; hoc vero eſt diverſum ab illo, quo reliqua ſymptomata non febrilia a vermibus pendentia producuntur. Nam nullius ſymptomatis vermes ſunt cauſa proxima. Itaque conditio quaedam cum vermibus coniuncta febres producit, alia vero a priori diverſa cum ipſis alia generat ſymptomata, ſed non febrilia. Quae ſc. ſymptomata febrilia et non febrilia ſtatum praebent compoſitum. Paucis vt dicam, intel-

ligo

g) Diſſ. inaug. de notione et diagnoſi febris §. 13. p. 12. Cl. Kuffer d. Goettingae 1784.

ligo hic febres illas, de quibus Ill. de Haen dicit *h)*: "Lumbrici cuiuscunque generis et intermittentes generant et continuas febres et non raro malignas." Nec minus illas, de quibus Cel. Hoffmann ſic loquitur *i)*: "Vermibus ſaepe iunguntur febres putridae, anomalae, lentae, quotidianis ſimiles. „Saepius autem infeſta haec animalcula aliis ſe morbis, ut „variolis et morbillis immiſcent vel iisdem ſuperveniunt, et non „tantum ſymptomata valde augent, magnumque virium decrementum adferunt, ſed indicia quoque diagnoſtica et prognoſtica, imo ipſam curandi methodum valde reddunt difficilem.

§. IX.

Cauſae colluviei verminoſae febriumque verminoſarum.

De remotioribus cauſis tantum hic mihi ſermo eſt, quarum cognitio ad diagnoſin febrium verminoſarum ſumme neceſſaria mihi videtur.

Quodcunque corpus et vias digeſtionis debilitat, copiamque pituitae auget, cauſis colluviei verminoſae adnumerari poteſt. Omnes cauſae tanquam vermium ab auctoribus enumeratae ſenſim debilitant corpus, languorem humorum circulantium cauſant motumque periſtalticum imminuunt vel depravant. Inde digeſtio aſſumtorum male peragitur; inde copia pituitae illius morboſae, pabuli vermium. Eadem ratione agunt omnes cauſae nunc dicendae, quarum praecipuae ſunt.

Con-

h) Rationis med. P. XIV. p. 190.

i) Opera omnia T. III. p. 490.

Conſtitutio corporis ſive iuſta quaedam conditio, cuius ope vermium generatio facile perficitur. Huc pertinet *Aetas;* etenim maxime iis obnoxii ſunt infantes ab eo tempore, quo dentes erupere, usque ad 14. aetatis annum. Idem iam divus Hippocrates obſervavit et in Aphoriſmis effatus eſt. Aphoriſmo enim 26. Sect. 3. enumerat morbos infantum, *πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν προαγόντων.* Aphoriſmo vero 26. morbos *μετὰ τὸ ὀδοντοφυεῖν. Πρεσβυτέροισι δὲ,* inquit, *γενομένοισι* etc. *ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες* etc. Eundem ordinem etiam Cel. Boerhaave obſervavit *k)* adnumerando vermes ad morbos infantum. Quod etiam Ill. Rosenstein et alii medici experientiſſimi fecere, frequentiam morbi in infantibus indicare volentes. Sed prouti non omnes infantes vermibus laborant, ita etiam non omnes adulti ſunt immunes. Nam plures adſunt cauſae, quae conditionem ſupra enumeratam producunt. Idem teſtatur Cel. Fr. Hoffmann *l)*: "Quamvis, inquit, nulla „hominum aetas ab exitialibus hiſce hoſpitibus plane ſit libera, „maxime omnium tamen infantibus et puerulis, hoc eſt, ab „ablactatione ad 14 annum iisdem obnoxia eſt." Cel. Baglivius quoque cuiuslibet medici attentionem excitare cupiens, dicit *m)*: "quocunque morbo laborent pueri, ſemper ſuſpican„dum de lumbricis. Nam vel morbo immediate favent, vel „in progreſſu eiusdem ſeminia verminoſa latentia excitant; „unde lumbricorum proventus."

Non

k) van Swieten Comment. T. IV. Aphor. 1359.

l) l. c. Tom. III. p. 489.

m) l. c. p. 59.

Non vero vermes tantum aetatem, ſed etiam *ſexum* ſexui praeferunt. Sequior enim magis obnoxius eſt, cuius et fabrica magis tenera, et qui cauſas debilitantes pituitamque generantes frequentius admittit, "γίνεται δὲ, inquit SENEX COUS *n*), „μάλιστα μὲν τῇσι γυναιξὶ τὸ νόσημα τοῦτο, ἔπειτα δὲ παρθένοις, τοῖσι „δ᾽ ἄλλοισιν ἀνθρώποισιν ἧσσον."

Non minus etiam in vermium generatione e corporis conſtitutione ad *Temperamentum* debile, phlegmaticum, laxum, eſt reſpiciendum. Languor enim omnium functionum adeſt, hinc et digeſtionis organorum. Et *praediſpoſitio* quaedam corporis ſingularis ſ. ſeminium naturale proprium cauſa eſſe poteſt. "Quod „quisque, ut GAVBII verbis utar *o*), ſanus ſibi ex naturae „inſtituto privum habet, quo fit, ut magis quam alii ad aliquos „morbos proclivus ſit."

Denique *morbi varii*, chronici, cachectici, acuti quoque debilitatem poſt ſe relinquentes. Quibus praeſentibus debilitatur gaſtricum ſyſtema, deficiunt coctionis vires et bilis redditur iners. De epilepſia id expreſſis verbis teſtatur Ill. et acutiſſ. ZIMMERMANN *p*): "*Ich irre, oder die Würmer ſind nicht „nur eine Urſache, ſondern auch wohl eine Folge der fallenden „Sucht, in welcher, mit der gewöhnlichen Freſsbegierde, die Schwäche „der natürlichen Verrichtungen Stofs genug zu ihrer Beherbergung „giebt.*" Suam ſententiam probat exemplo iuvenis cuiusdam epi-

n) *Praedict.* lib. II. Sect. II. p. 89. Ed. FOESII. Frcfti 1595.

o) l. c. §. 611.

p) Von der Erfahrung in der Arzneykunſt p. 431 ſeq. Zürch 1777.

epileptici, apud quem cauſas acute inveſtigavit et detexit. Dein concludendo addit: "*dieſe Würmer erſchienen alſo, nachdem „die fallende Sucht aus einer wohl erkannten, zureichenden und un„widerſprechlichen Urſache längſt entſtanden war.*" Cur id et de aliis morbis dici non poſſit, non intelligo.

Dein ad cauſas vermium referri debet *Victus*; quo pertinent cibus et alimenta, quae copiam ſuccorum pituitoſorum et inertium ingenerant. "Voraces, dicit Ill. v. Swieten *q*), et in junio„ribus et in adultis ſaepius inveniuntur verminoſi" et paulo poſt, "pauperum infantes, qui meliori victu carent, et obvia quaeque „comedere ſolent, longe frequentius aliis, vermibus cum tumido „abdomine laborant; uti quotidianis obſervatis conſtat." Praecipua alimentorum genera ſunt ex *vegetabilibus* fructus horaei, panificia cum melle et ſaccharo condita, pultacea et farinoſa. Dubitando refert experientiſſimus Huxham *r*): "neſcio unde, „ſed per plures menſes iuniores atque etiam haud pauci adulti „lumbricis teretibus infeſtantur, qui per morbos ſaepiſſime deii„ciuntur. — An a corrupto frumento, nec non immaturis et „crudis fructibus progenies haec verminoſa?" Porro huc referenda ſunt *legumina* farinoſa et parte terreſtri ſuperabundantia. Solanum quoque tuberoſum maxime accuſatur *ſ*). *Dulcia* vero male vulgo arguuntur *t*). Ad anthelminthica potius quam ad helminthopoetica — ſit venia verbo — ea annumerant Ill. Mur-

q) l. c. Tom. IV. p. 720.

r) Opera phyſico-medica T. I. p. 230.

ſ) Ill. Baldinger von den Krankheiten einer Armee p. 416. Langenſ. 1774.

t) Diſſ. de dulcium natura Praeſ. Ill. Murray, Reſp. Cl. I. F. Behrens. Goettingae 1779.

Mvrray, praeceptor meus ſemper omni pietate colendus, ut etiam experientiſſ. Fr. Hoffmann *u*), qui celeberrimi viri ſimul docent, non omnia dulcia hoc promiſcue efficere.

Alimenta animalia; piſces et carnes copioſe ingurgitatae, praecipue parum coctae, vel ſale et fumo induratae, iis annumerantur. "Narravit mihi, dicit Ill. van Swieten *x*), probus ex „Franciſcorum familia Religioſus, qui per aliquot annos in aula „regis Marocco vixerat, plurimos delectari crudi carnis eſu et „vermibus peſſime laborare, non ſine periculo, niſi ſingulis „menſibus valido purgante remedio ſumto, verminoſa haec „ſaburra de corpore expellatur." Lacticinia quoque ea de re ſunt accuſanda. Caſeus non tantum is, quem Ill. van Swieten deſcribit *y*), qui ex toto lacte non ſeparata prius parte cremoracea conficitur, ſed etiam, qui illa parte antea ablata compingitur et qui in patria mea uſitatiſſimus eſt et copioſe a plebeiis conſumitur, eo nempe tempore, quo a ſacro ſancta Religione graeca, mihi ſemper venerabili, non impeditur eſus carnium et caſei. Eum vero caſeum anſam praebere vermibus tam lumbricis quam aſcaridibus, vulgo ibi notum eſt.

Potus etiam; aqua impura, quotidiana et frequens ingurgitatio potuum calidorum, prouti hodierno tempore in plurimis regionibus eſt moris, generationem vermium promovet. Bene itaque monuit Cl. van den Bosch *z*): "Peſſimus inſuper „inva-

u) Operum omn. ſuppl. 2. p. 600.

x) l. c. T. IV. p. 720.

y) loco modo citato p. 690.

z) l. c. p. 24.

„invaluit mos, ut cibis vix deglutitis, calida potione Theae mox „inundent aſſumta; qua, etiamſi putrescibilis ingeſtorum in„doles ſupprimi poſſe videatur, vim tamen ventriculi coctricem „et inteſtinorum in ingeſta valde debilitant, bilemque ener„vant, ſeſeque ad verminationes valdopere aptos reddunt."

Tandem *aliorum errorum* ratio eſt habenda, quibus adnumero vitam ſedentariam et deſidem, animi pathemata, praecipue moerorem, excretiones nimias ex quacunque cauſa, et abuſum remediorum, quae debilitatem poſt ſe relinquunt.

Efficaciſſimae denique cauſae tam colluviei verminoſae, quam febrium verminoſarum ſunt regiones quaedam, anni tempora, et tempeſtatis aërisque propriae conditiones, quae vim ſuam exſerentes, nulli aetati, ſexui, nulli conditioni hominum parcunt, ſed ſaevas febres et lethales interdum in genus humanum inferunt.

Veteres iam obſervarunt, quod *regiones* quaedam plus diſponant ad colluviem verminoſam quam aliae. THEOPHRASTVS teſtatur *a*), Aegypti, Arabiae et Ciliciae populis minus familiares fuiſſe vermes, Thracibus vero et Phrygiis magis; inter Graecos vero magis infeſtatos fuiſſe Boeotios quam Athenienſes. Regiones enim paludoſae magis obnoxiae ſunt, quam eae, quae hac conditione feliciter carent. LANCISIVS *b*) egregie annotavit, quod, quo longius a foſſis diſtarent domicilia aegrotorum, et quo melior eſſet eorum victus ratio, eo benigniori morbo afficerentur, et eo paucioribus vermibus, imo ſaepe nullis infeſtarentur, et vice verſa.

Aër

a) De hiſtoria plantarum lib. IX.

b) Opera varia. De noxiis paludum effluviis lib. 2. Epidem. I. c. 5. p. 192.

Aër etiam humidus et calidior, ac ratio anni temporis requirit, impurus et impraegnatus variis effluviis corruptis; *Tempeſtas* humida et pluvioſa. *Anni tempus*; omnium praecipue autumnus huius cenſus eſt. Nam pluviae, aëris conditio etc. quae corpus languidum faciunt, hoc tempore frequentius adeſſe ſolent. Quod et divus ille Senex iam obſervavit *c*): "Φθι-„νοπώρου μάλιστα θηριώδεες, καὶ ἡ καρδιαλγία. Καί τοι καὶ αὐτὴ „ἧσσον κακουργέοι ἄν, αὐτοῦ τοῦ νοσήματος τουτέου ἐόντος· αἱ ἀσκα-„ρίδες δείλης, ὁμοίως τούτῳ· καὶ ἐκεῖνα τηνικαῦτα ὀχλέουσι τῆς ἡμέρης τὰ πλεῖστα, οὐ μόνον διὰ τὸ μᾶλλον πονέειν, ἀλλὰ καὶ αὖται διὰ σφᾶς ἑαυτάς."

Per ſe quoque patet, talem conditionem tempeſtatis unoquoque tempore incidere poſſe. Ideo etiam ſemper obſervatae ſunt vermes, febresque verminoſae. Imo in continuo per unum alterumque annum duraſſe deſcriptas habemus epidemias verminoſas. Porro fieri poteſt, ut et ſub tempeſtate alias ſalubri vermes adſint, ſi nempe reliquae cauſae antea memoratae adfuerint. Id egregie iam annotavit Ill. Huxham *d*): "tempe-„ſtas, inquit, ſane parum eſt morboſa, atqui plurimi etiam ſe-„niores lumbricis rotundis vexantur."

§. X.

Modus, quo laedit colluvies verminoſa.

Dum materies quaedam, ſive cauſa quaecunque materialis morboſa iam laedens in corporis parte quadam adeſt, tunc laedit

c) De morbis vulgaribus lib. II. Sect. 7. p. 75. Ed. Foesii.

d) l. c. p. 282.

laedit turbatque functiones partis aut partium, quibus inhaeret, aut aliarum remotiorum, aut ambarum. In ſecundo et tertio caſu laedit ſive lege inexplicabilis illius et inclyti conſenſus, ſive depoſitione materiae illius morboſae, ſeu ſaltim partis illius ſubtilioris in partem vel partes iam laeſas remotiores. Fiat metaſtaſis ope vaſorum reſorbentium, ope telae celluloſae, vel denique cuiuscunque viae nobis forſitan hucusque incognitae. Nam mihi perinde eſt. Sufficiat ſcire, materiam alio loco generatam, nunc alio inſidere et inhaerere. Quod confirmari poteſt auctoritate Experientiſſimi Stollii *e)*: "bilioſam materiam acrem ad ſuperficiem corporis deferri et Tomo III. p. 195. eandem materiam ad cerebrum translatam, phrenitidem cauſare dicit. Ibidem et T. I. p. 39. et conſenſum et metaſtaſin materiae admittit. "Prava, inquit, materies praecordiorum „non eas ſolum partes, quibus circumſcribitur, ſed etiam remo-„tius poſitas et conſenſu quodam per obſervationes certo, et-„ſi forſan nondum ſatis explicato, inter ſe communicantes „afficit, aut ſi hoc diſplicet id forte veroſimile erit, particulas „ſaburrae reſorptas partem, ad quam delatae haeſerint, velli-„care et quacunque ratione male afficere." Eodem ſenſu haec valere poſſunt de colluvie verminoſa. Vermes quidem per ſe vivi per conſenſum iam excitare poſſunt ſymptomata, ſed pabulum nidusque eorum ab ipſis inquinatus, depravatus etiam utraque lege laedere poteſt, nimirum per conſenſum et per metaſtaſin materiae. Cel. Fr. Hoffmann per metaſtaſin materiei excitari ſymptomata docet. Etenim dicit *f)*: "Varia

„et

e) Rationis medendi Tom. I. p. 20.

f) l. c. T. III. p. 250.

„et terribilia ſubinde ſunt, quae a verminoſa progenie in nervoſa-
„rum partium ſyſtemate concitantur ſymptomata. Quorum qui-
„dem cauſam ego non in roſione tunicarum inteſtinalium, nervea-
„rum, quam potius in exhalationibus acribus, cauſticis, quae
„ex vermium corpore et excrementis exſpirant, quibus omnis
„generis inſecta ſcatent, reponendam ſtatuo." Et alibi *g)*:
"cauſam tam graviſſimarum paſſionum non in ſola inteſtini recti
„vellicatione collocandam eſſe arbitror. Nam ſaepe nec ullus
„dolor, nec pruritus in ano ſentitur ſed potius in putridis ho-
„rum animalculorum effluviis ac exhalationibus per poros in ner-
„voſas ac membranaceas partes ſeſe inſinuantibus ponendam
„eſſe certus credo." Ill. tamen Morgagni *h)* ex ſolo con-
ſenſu affectiones verminoſas derivare velle videtur. De pleuri-
tide enim verminoſa tam vera quam ſpuria loquens, dicit:
"primum quidem a vermibus inferri aliquando pleuritidis ſimili-
„tudinem, quae eiectis vermibus, continuo evaneſceret; deinde
„autem veram ipſam pleuroperipneumoniam interdum fieri, ſi
„porro illi irritare pergerent, et ſic ad thoracem non vapores,
„neſcio qui, ſed conſtantes ſpasmodicae membranarum criſpa-
„turae traducerentur, quae ſanguinem denique praeſertim len-
„tum in vaſculorum anguſtiis retinerent, viſum eſt." Senten-
tia haec vera eſt, ſi vermes per ſe vivi et integri ſpectantur:
ſed ſi ſimul nidus eorum ſumitur, non video, cur duo hi modi,
quibus partes corporis laedantur, non admitti poſſint, cum de
ſimilibus materiis morboſis concedatur.

§. XI.

g) l. c. T. III. p. 42.
h) De cauſis et ſedibus morborum Ep. XXI. Nro. 43.

§. XI.

Signa et ſymptomata nonnulla tam colluviei verminoſae, quam febrium verminoſarum.

"Nullum, inquit Pechlin, tam peregrinum ſymptoma, „tamque δαιμονιακὸν, quod vermes excitare non poſſent." Excitant vero haec ſymptomata, *irritando*; quo pertinent, vellicatio, ſuctio, eorum denique motus in inteſtinis; *perforando* ipſa inteſtina, *obſtruendo* ea, quod fit a magnitudine et copia vermium, a conglomeratione et intricatione, qua invicem ſe implicant, *conſumendo* denique et *corrumpendo* chylum et partes nutritias. Habeas autem ſimul rationem ſaburrae per ſe ſine vermibus, in explicandis his ſymptomatibus *i*).

Dolor capitis variae intenſionis. Interdum enim gravitas et hebetudo infeſtat; interdum vero adeo acutus eſt, ut caligent oculi, alienetur mens, cieatur vomitus, ſupprimatur vox, frigeſcat corpus et ipſa denique deficiat anima. *Varium locum occupat*, integrum caput, vel dimidiam eius partem, occiput, frontem, latera, verticem ſummum, tempora, radicem naſi, partes ſupraorbitales. Ab aſcaridibus ſenſum titillationis in vertice moleſtum et quotidie recurrentem excitatum fuiſſe, refert Hoyervs *k*).

Ver-

i) Liceat mihi compendii cauſa auctores indicare, ex quorum operibus haec ſigna et ſymptomata collegi Pet. Foresti obſerv. et curat. med. lib. VI. ubi plures obſervationes de febribus verminoſis inveniuntur et lib. 21. Obſerv. de vermibus. van Swieten Comm. Tom. IV. §. 1359-69. Ant. de Haen ratio medendi P. XIV. c. 7. v. Rosenstein Kinderkrankheiten c. 22. von den Würmern. van den Bosch Hiſtoria Conſt. epidem. verm. v. Phelsum Hiſt. pathol. Aſcarid. Wagler de morbo mucoſo.

k) E. N. C. cent. 6. obſerv. 73.

Vertigo. BENEVENIVS *l)* puerum, expulſis multis lumbricis, reſtituit, qui ſemper hinc inde temerario motu et impetu ferebatur, ut etiam ſtare volens, iterum titubaret et caderet. "Vidi, inquit VAN SWIETEN, moleſtiſſimam vertigi-„nem illico ſanatam per vomitum excuſſis vermibus; mane „ieiunum hominem praecipue infeſtabat vertigo, minuebatur „poſt ſumtum ientaculum."

Facies pallida vel eius color modo ad lividum, modo ad ſubrubrum, mutatur; quod et de genis praecipue valet.

Oculi collapſi ſqualidi, lacrimoſi, renitentes cum pupillae maiori conſueta dilatatione et nigredine; interdum quoque arctitudo pupillae eſt obſervata. Album vero oculorum non inſtar perlarum eſt, verum aut album nimis, ingrato aſpectu ſine pelluciditate vel nitore, aut coeruleum. Livor quoque et intumeſcentia in ea celluloſitate laxiori, quae oculis ſubſidet. Nec minus viſus mirifice vitiari poteſt. Obſervata enim eſt hebetudo eius, amblyopia, amauroſis etc. Nyctalopiam ab aſcaridibus vidit VAN PHELSVM. Plenarias quoque coecitates plures auctores ſe vidiſſe referunt.

Aurium ſuſurrus et tinnitus. Tam magnos obſervavit Cl. VAN DEN BOSCH, ut aeger eos cum maris agitatione compararet, expulſis vero vermibus, breve evanuerunt. Nec minus ſurditas frequenter obſervata legitur.

Naſus albus, cerae inſtar. Pruritus narium, qui ſaepe adeo intolerabilis eſt, ut aegri perpetuo naſum fricare cogantur. Vnde tetrae aliquando huius partis exulcerationes et ipſo-

 rum

l) De abditis rerum cauſis Cent. 92.

rum vaſorum dilacerationes contingunt. Saepe quoque in verminoſis haemorrhagia narium excitatur. Inde divus ille SENEX HIPPOCRATES *m*) dicit: "ὅσοι κοιλίης ἐπιστάσης αἱμοῤῥοέουσι, καὶ ἐπιῤῥιγοῦσιν ἅμα τῷ αἱμοῤῥοεῖν, τούτοισι κοιλίην λειεντεριώδεα ποιέει, καὶ ἐπίσκληρον καὶ ἀσκαρίδας, ἢ ἀμφότερα. Vt frequentiſſimum et certiſſimum ſignum habet Ill. HOME *n*) tumorem alarum naſi et labii ſuperioris, dicit enim: *"Ich habe ein ſolches „(gewiſſes Kennzeichen) vor ohngefähr ſechzehn Jahren entdecket, „deſſen vor mir noch kein einziger Schriftſteller Erwähnung gethan hat, „und dieſes iſt eine gewiſſe oedematöſe Geſchwulſt der beyden Naſen„flügel (alae narium), der obern Lippe, und oft auch der daran „ſtoſſenden Theile der Backen. Die Oeffnungen der Naſenlöcher ſind „hierbey viel kleiner, und es haben wenigſtens ſolche nicht die Hälfte „ihrer natürlichen Gröſſe. Dieſes diagnoſtiſche Kennzeichen iſt ſicher, „und ich habe mich ſeit dieſer Zeit vornehmlich darauf verlaſſen, ich „bin auch immer ſehr wohl dabey gefahren."*

Labiorum efflorefcentia et ſiccitas.

Dentium dolores, Cl. VAN PHELSVM virum vidit, qui per duas hebdomades odontalgiam pertulerat; plurima remedia poſt evulſos binos dentes in caſſum tentaverat, expulſis vero innumeris aſcaridibus ſtatim levabatur. Strident quoque dentes et maxillae ſpaſmo clauduntur, inter vigilandum aut dormiendum. Talem ſpaſmum maxillae viginti horis durantem in aegris febre putrida verminoſa epidemica laborantibus obſervavit Clar. COLLIN *o*).

Riſus

m) Praenot. Nro. 344. p. 159. Ed. FOESII cit.

n) Kliniſche Verſuche p. 492. Leipz. 1781.

o) Journal de Medecine T. XIX. p. 216.

Riſus ſardonius. Vidit eum Cl. VAN DOEVEREN *p*) in febris intermittentis paroxyſmis, qui poſt datum emeticum, quod cum copioſa bilioſa et mucoſa colluvie inſignem lumbricum expulerat, evaneſcebat. Eundem ab aſcaridibus obſervavit Clar. v. PHELSVM.

Gingivae quoque vitiantur. Subputridae et eroſae viſae ſunt, ita ut eorum carnem fere depaſtam obſervarit HILDANVS *q*), nec minus Cl. v. D. BOSCH in febribus lentis vermin.

Salivatio, quam in febribus catarrhalibus verminoſis copioſam fuiſſe obſervavit Cl. v. D. BOSCH, ita ut aliquando dubium excitaret, critica an ſymptomatica ex ſolis vermibus fuerit. Clar. v. PHELSVM in infantibus aſcaridibus vexatis ſaepiſſime vidit tumentes glandulas ſalivales. — Teſte FORESTO in ſomno magis ſalivant ora infantibus verminoſis, quam interdiu.

Lingua albam, fuſcam vel ſubpinguem gerit cruſtam; interdum aphthis obſeſſa. Interdiu arida. Spaſmus et paralyſis eius quoque a vermibus obſervata eſt.

Fauces cruſta alba vel fuſca obducuntur, ſaepe quoque ſiccae ſunt.

Oris halitus foetidus peculiari acido putrido olens. MVSA BRASSAVOLVS *r*) ex halitu putrido vermes cognovit in acute decumbente fereque mortuo 82 annorum ſene, quem atris faucibus eripuit, remedio ex ſcordio et corallina ſupra 500 educendo.

Conſtrictio colli, quae interdum ſtrangulationis metum infert.

Aphonia. FORESTVS gravi febri verminoſa laborantem et per quatuordecim dies mutum, innumeris expulſis vermibus loquelam

p) Diſſ. de verm inteſt. p. 62. *q*) Obſerv. Cent. I. obſ. 59.
r) Comment. ad Aphor. HIPPOCR. Aphor. 26. lib. 3.

quelam cum integra ſanitate recuperaſſe vidit. "Vidi, inquit Ill. v. Swieten *s*), "in tirone artis chirurgicae miti febre con„tinua decumbente, quae iam ſtatum praetergreſſa manifeſte de„clinabat, ſubito acceſſiſſe aphoniam cum involuntaria foecum alvi„narum excretione. — Paulo poſt evomuit vermem teretem vi„vum, et illico omnia haec mala evanuerunt, morbusque reli„quum decurſum abſolvit feliciter et brevi." Innumera fere ſunt exempla aphoniae verminoſae.

Singultus et *Sternutatio.* Frequenter infantes verminoſi etiam adulti matutino tempore a levi vermium motu verſus ventriculum repentium ſternutare obſervantur, quousque vermes eiiciuntur vel eorum inquietudo aſſumto cibo ſedatur *t*).

Tuſſis varii gradus, frequens vel rara, plerumque inanis et ſicca. A ſola tuſſi diu perdurante poſt curatam febrem quartanam ad vermes concluſit Forestus, neque eſt deceptus.

Reſpiratio laeſa. Interanea, inquit Forestus, murmurant, aſthmate gravi tentantur verminoſi.

Cordis motus inordinatus. Docente Foresto: "incre„ſcente malo cor ſupra modum palpitat, oculi ſemiaperti cernun„tur, aut oculis non conniventibus ſtupent." *Pulſus* inconſtantes, inaequales, debiles, remittentes, intermittentes. Ex ſententia Baglivi *u*) pulſus exiliſſimus fere ſemper ſignum eſt vermium latentium, uti et ſingultus.

Praecordiorum angor magnus, qui interdum ita creſcit, ut lipothymici et ſyncoptici evadant aegri.

Dolor

s) l. c. p. 740. *t*) vide Boerhaav. praelect. de morb. nerv. p. 690.
u) Prax. med. lib. I. p. 59.

Dolor lateris vagus inconſtans pleuritidem aemulans. "Vidi „dolores, inquit Ill. DE HAEN, acutiſſimos in latere ad coſtas „infimas, qui mentirentur pleuritidem, lumbricis eiectis integre „ſanatos." Pleuritides etiam verae ſunt obſervatae.

Appetitus interdum naturalis et bonus, ſaepius vero proſtratus; faſtidium ciborum. Fames immodica quae etiam in febribus acutis verminoſis eſt obſervata, ſaepius vero in lentis et hecticis verminoſis. "Fuit aliquando, inquit FORESTVS *x*), morbus quem et famem appellabant, cum omnes ex eo correpti ſaturari non poterant et cum infiniti morerentur, medicus quidam „ſagax propinavit omni mane bolum armenum: verum modo „per ſe, modo cum theriaca, quibus per anum infinitos vermes „deiecerunt, et praeter mentem quam plurimi reſtituti ſunt."

Sitis, quae interdiu magis accenditur, praecipue tempore matutino.

Ructus nidoroſi, ſubpingues, nauſea, conatus vomendi, vomitus, quo variae indolis materia eiicitur. Ὁκόσαι δὲ (γυναῖκες) inquit divus HIPPOCR. *y*), νήστιες ἐοῦσαι, ὑπόχολα ἐμέουσι πολλὰς ἡμέρας, μήτε ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, μήτε πυρεταίνουσαι, πυνθάνεσθαι ἕλμινθας στρογγύλας εἰ ξυνεμέουσιν· ἢν γὰρ μὴ ὁμολογέουσι, προλέγειν αὐτῇσι τοῦτο ἔσεσθαι.

Ventriculi pondus, dolor, vellicatio. HIPPOCRATES dicit *z*): Καρδιαλγικὰ καὶ μετὰ στρόφου, κοιλίης θηρία καταῤῥήγνυται.

Venter inflatus et tactu durus, movetur quoque interdum ſub manu. "Subitus, inquit v. SWIETEN *a*), tumor poſt pa- „ſtum

x) l. c. lib. XXI. obſ. 28. in ſchol.
y) Praedict. lib. II. ſect. II. p. 89. FOES. ed.
z) Coac. praenot. ſect. 2. Nro. 286. p. 152. Ed. FOES. *a*) l. c. p. 712.

„ſtum inter ſigna vermium in inteſtinis latentium numerari ſo-
„lent." Tormina et murmura. Docente BAGLIVIO: "quando
„pueri vehementer manibus contrectant ventrem, ſignum eſt ver-
„mium latentium, multo magis, ſi tormina adſint." Dolores in abdomine ſpaſtici, ſenſus ſuctionis, ponderis, vellicationis, eroſionis, praecipue in regione umbilicali. FORESTVS in puero novem annos nato iam per tres quatuorve menſes lecto adfixo vermes intus hoſpitantes ab exiguo nec effatu digno circa ventrem dolore, cognovit.

Pruritus circa anum et teneſmus.

Alvus inconſtans, modo ſuppreſſa, modo laxa, mucida, fruſtillatim miſſa, ramentoſa, griſea, dyſenteroides, teneſmoides,ननbilioſa, ſubputrida, putrida.

Dolor *colis b*). Vitia mictionis varia; incontinentia urinae, ſtranguria, dyſuria, iſchuria. Vrina interdum ſano ſimilis exiſtit, ac boni coloris, licet tenuis et ſubſtantia crudiore; vel limoſa, iumentacea, inconſtans, hypoſtatica, vel absque ſedimento, albida aut ex flavo albeſcens.

Dolores *lumborum*, *coxae*, *artuum*, vagi inconſtantes, ſpaſtici. De dolore coxae haec docet Ill. DE HAEN: "quidam et coxa-
„rum notarunt dolorem, plures minime, nos nunquam."

Manuum, *poplitumque* ſtupor et rigiditas.

Convulſiones et *ſpasmi*. Nullae fere poſſunt concipi corporis agitationes, geſticulationes, nullae convulſionum ſpecies, quas vermes interdum producere non poſſint. Convulſiones homini, febre tertiana duplici laboranti, mortem inferebant, et poſt mortem

b) KLEIN Interpr. clin. p. 306.

tem inteſtinum ieiunum infinito lumbricorum numero repletum inventum fuit *c*). THEOPH. BONET *d)* de femina narrat, quae per duos annos ferme, miris et capitis et brachiorum, imo totius corporis convulſionibus et potius geſticulationibus tentata fuit, ita ut ſaepenumero inverſis atque erectis pedibus nolens volens in capite ſtare viſa fuerit. Denique moritur; cadaveris totum abdomen foecibus et undiquaque lumbricis ſcatebat.

Tetanum univerſalem, Emproſthotonum, Opiſthotonum, Epilepſiam, Choream ſ. Viti obſervarunt plurimi auctores et anthelminthicis curarunt.

Cavendum vero eſt, ne in diagnoſi convulſionum calculoſarum fallamur, neque unice ad calculos in curatione reſpiciamus; ſaepe enim ex irritamento, quod eſt in primis viis, ſordibus, vermibus, ob conſenſum harum partium cum renibus et veſica, urinae ardor, ſtillicidium, retentio, lumborum dolor, priapismi, aliaque ſymptomata, quae calculoſis ſolemnia ſunt, oriuntur et cum epilepticis et convulſivis motibus coniunguntur.

Alienationes mentis omnis generis et indolis, deliria tam acuta quam chronica.

Vigiliae. Aliquando ſomnum arcent vermes, uti WELSCHIVS *e)* in puero vidit, qui per longum tempus ſingulis nocturnis vigiliis moleſtiſſimis affligebatur, et eiulatu totam viciniam complebat, expulſis vero lumbricis, ſomnum iterum recuperabat. Clar. VAN DEN BOSCH de ruſtico narrat, qui in febre lenta ver-

c) Journal de Medecine T. XX. p. 328.
d) In medicina ſeptentr. T. I. lib. 3. ſect. 16. c. 4.
e) E. N. C. dec. I. ao. 8. obſ. 36.

verminoſa pertinacia pervigilia per ſeptimanas aliquot ſucceſſivas ſuſtinuerat, quibus tandem in furorem agebatur, donec diarrhoea accederet putrida, ramentoſa, verminoſa educens, ſomnum et ſanitatem reſtituens.

Alii *ſomno* profundo tenentur. Quidam et ſubito metu, formidineque vana excitantur vel nocturnis quibusdam pavoribus umbrarumque terriculis falſis proſiliunt, clamant. Tales ſunt ex ſententia Foresti, qui natura timidi exiſtunt, candidae cutis, ac carne molliores. Porro obloquuntur in ſomno, dentibus ſtrident, ſaepe tuſſiunt, et commanducare videntur vel deglutire aliquid.

Cave tamen confundas pavores hos nocturnos cum iis, de quibus dicit Baglivius *f)*: "ſubito excitari a ſomno cum „trepidatione praecipue in infantibus, certiſſimum eſt apud „mulierculas vermium ſignum. Hoc idem tamen contingit „etiam in eruptione exanthematum, ut ſaepe vidimus."

Iracundia praeter conſuetudinem, quod et de reliquis animi pathematibus dici poteſt, aeque ac de morum inſueta mutatione. Hinc ex morum ſubito ac improviſo mutatorum ſcena de vermibus coniecturam fecit Pechlin *g)*.

Optime *comedentes* aegri, *parum* vel *nihil nutriuntur*. *Tabes et atrophia*. Notabile ſane exemplum *h)* de puero atrophia defuncto et diſſecto referunt, in cuius inteſtinis plures vermium nodi, alii maiores, alii minores interiori tunicae villoſae tam firmiter adhaeſiſſe viſi ſunt, ut cum eadem veluti concreti conſpicerentur, nec ſine laeſione ipſius tunicae ſeparari potuerint.

No-

f) l. c. p. 66. *g)* Obſervat. phyſ. medic. lib. 3. obſerv. 42.
h) Act. N. C. Vol. 3. p. 161.

Notetur, non cuncta recenſita in cunctis reperiri aegris, ſed alia in his, alia in aliis, imo interdum unum vel alterum vel pauciſſima tantum adeſſe, et aliis quidem morbis communia, prouti iam relata exempla docebunt. Quae quidem, ut bene monuit Clar. VAN DEN BOSCH *i)*, phaenomena, etiamſi ſub alia facie prodeuntia in ſcenam, ſemper aliquid ſpecifici et individui prae ſe ferre, quo ab exercitato medico ab aliis cauſis procedere internoſcuntur. Hoc tamen non obſtante, aliquando adeo obſcura ſunt ſigna, adeo multa ſymptomata, ut doctiſſimos et exercitatiſſimos medicos fallant, quod ipſimet veterani et conſummati practici teſtantur *k)*. "Quandoquidem, „inquit VAN SWIETEN *l)*, plura vermium ſymptomata occur„runt, licet nulli adſint." Ad quam opinionem confirmandam adiecit caſum recenſitum a Cel. Profeſſore Edinburgenſi CLAIR, quem hic addere non piget. "Puer quatuor annorum ſtoma„chi dolores patiebatur; narium aderat pruritus, pervigilia, „terrores in ſomnis et tunc ſubito cum ſubſultu evigilabat; „poſtea nares perfricabat perpetuo, ſive vigilaret, ſive dormi„ret; ſequebantur convulſiones, quibus ſexto die periit, in caſ„ſum tentatis pluribus, ſecundum artis praecepta, remediis. „Inteſtinis in tota ſua longitudine caute diſſectis, uti et ven„triculo aperto, nulli apparuerunt vermes; ſed inveniebantur „unciae circiter binae ſubſtantiae viſcidae, gelatinae inſtar, „circa ieiuni inteſtini principium."

§. XII.

i) l. c. p. 6.
k) FORESTVS libr. XXI. obſ. 28. p. 351. DE HAEN p. 203. HOFFMANN T. 3. p. 490.
l) l. c. T. IV. p. 721.

§. XII.

Quaedam de exanthematibus et tumoribus verminoſis.

Petechiae, aphthae, vibices, miliaria (haec ſi a veneno ſpecifico derivare non vis) et alia exanthemata ſymptomatica tam chronica quam acuta, adeſſe et abeſſe quoque poſſunt in febribus verminoſis, quae ſaepe occurrunt deſcripta vermibus coniuncta et ubi vel minima vermium mentio non fit. Similia exanthemata a colluvie gaſtrica cuiuscunque indolis oriri certiſſimum et evictum eſt, quam materiam Clar. WELTI pro ingenio ſuo egregie pertractavit *m*). Fieri tamen poteſt, ut, cum colluvies verminoſa aliquid proprii habeat, quo diverſa ſit ab omni alia ſaburra gaſtrica, ut, dico, exanthemata producat ſui generis et diverſa ab iis, quae alii ſaburrae indolis diverſae debentur. Sed talium natura, indoles, qualitas, quibus a reliquis exanthematibus diſtinguuntur, nondum ita eſt determinata, ut ab illorum praeſentia ad vermes concludere poſſimus. De miliaribus ſuſpicatur tantum Cel. SAGAR *n*), quod forſan omnium miliarium cauſſa ſint vermes, cum ſua ſaburra in primis viis nidulantes. Obſervavit cel. vir epidemiam miliarem a. 1771. et 1772. cuius cauſſa lumbrici inteſtinales fuerint, ut ille affirmat. Tales epidemias etiam alii obſervarunt; plurimi vero ſine vermibus. Maximum argumentum eſſe videtur, quod infantum verminoſorum odor ex ore, et odor ſudoris miliaris aequales ſint aceti, corrupti, vappidi. Sed quodnam ſignum vermium abſolute certum eſt, et abſolute eos indicat, excepto dum ipſi expulſi ſe oſtendunt? Num porro ex uno ſigno vel uno ſymptomate communi duobus

vel

m) Diſſ. inaugur. exanthem. fons abdomin. Goettingae 1784.
n) Syſtema morborum P. 2. p. 327. Viennae 1783.

vel plurimis morbis ad affinitatem vel nexum eorum cauſalem concludere licet? Num ille ſudor acidus in ſolis miliaribus et verminoſis tantum invenitur? Vide Cel. GRVNER *o*), qui ſudorem acidum ut ſignum variorum morborum et variam qualitatem humorum indicans, deſcripſit. Porro ſi exanthema, quod ab auctoribus nomine miliaris deſignatur, ut genus ſtatuas, invenies, quod non omnes eius ſpecies a colluvie gaſtrica cuiuscunque indolis deriventur, ſed quod etiam admittatur ſpecies, in qua nullae adſint ſordes, quae tantum a conditione quadam humorum circulantium peccante deducatur *p*).

Aliud exanthema obſervavit Cel. BEIREISIVS *q*) variolis, ſecundum omnes qualitates, quam ſimillimum. Ad ſuam ſententiam probandam ex magno numero aegrotorum (ut auctor Diſſertat. refert p. 29.), qui eo morbo laborabant et ſuae curae ſe tradiderant, quatuor hiſtorias fuſius refert. "Dein addit, p. 39. ſufficiant „haec exempla ad comprobandum, inveniri variolas verminoſas veris per omnia quam ſimillimas, ſi fortaſſe a cicatricibus et contagione receſſero." Quod autem ad cicatrices attinet, nil certi ſcire poſſumus. Nam ut auctor diſſ. narrat p. 35. cicatrices nunquam locum habent et in iis, qui veris variolis implicantur et tempeſtive BEIREISIO ſe curandos tradunt. Neque de contagione aliquid certi auctor affirmare poteſt. Nam nullus eorum, ut ipſe dicit, qui nondum variolis veris laboraverat, cum his verſatus eſt, quorum variolis verminoſis BEIREISIVS curatio-

o) Semiotice §. 568. p. 364. Halae 1775.
p) cf. SELLE rudiment. Pyretol. method. p. 160 ſeq. Berolini 1774.
q) Diſſ. de febr. et variol. verm. praeſ. G. C. BEIREIS, reſp. P. E. HINZE, Helmſtadii 1780.

rationem adhibuit. De quibus omnibus fides ſit penes auctorem. Id certum eſt, ſecundum ipſius deſcriptionem variolas veras ab ipſis verminoſis diſtingui non poſſe, ita ut dein concludere poſſimus ad cauſam efficientem, quae ab ipſo vermes eſſe ſtatuuntur.

Ἐν λειεντερικοῖσι μετὰ θηρίων, ὀδύναι στρόφῳ λυόμεναι, τὰ περὶ ἄρθρα μετεωρίζουσιν, ἐκ τοιούτων λέπια ἐξέρυθρα, φλυκταινούμενα ἐφιδρώσαντες οὗται διαφοινίσσονται οἷα μάστιξιν *r*). Hic de tumoribus articulorum et de vibicibus eſt ſermo. Sed an a vermibus? Sunt qui affirmant, alii qui negant. Ill. de Haen *s*) "incertum, „inquit, omnino, utrum ad vermes, an ad morbi ulceriſve ma„lignititatem pravitatemque referri oporteat." Ill. v. Swieten *t*) in oenopola quodam vermibus laborante totam horum ſymptomatum ſeriem eodem ordine, ut hic recenſentur, vidit. Clar. v. d. Bosch *u*) quatuor quoque caſus refert, quibus πρόγνωσιν divi Hippocr. confirmare enititur; in quarto omnia fere ſimilia obſervationi Senis Coi fuerunt; in primo caſu digitus auricularis inflatus fuerat; in ſecundo vero et tertio, omnes omnino. Tumorem quoque pedum obſervavit in epidemia verminoſa ab ipſo deſcripta. Tumores circa malleolos, oedemataque levia pedum vidit Clar. Wagler *x*), quae ad criticas refert mutationes. Ill. de Haen *y*) ſaepe quoque in verminoſis tumorem articulorum, pollicis praecipue digitorumque vidiſſe teſtatur. Sit nunc ſenſus effati venerandi Hippocr. qualis ſit, tamen ex allegatis obſervationibus virorum fide digniſſimorum patet, quod in verminoſis illi tumores occurrant. Sed quaeritur, an in ſolis verminoſis, et an praeſen-

tes

r) Hippocr. Coac. praenot. ſect. 2. Nro. 467. p. 180. Ed. c.
s) Ration. med. P. 14. p. 202.
t) l. c. T. IV. p. 715.
u) l. c. p. 91.
x) l. c. p. 81.
y) loco modo citato p. 202.

tes pro ſigno diagnoſtico habere poſſimus? Non videtur. Quod iterum ex relatis aeque ſolertiſſimorum virorum patet. Haenius z) haud in ſolis verminoſis hos tumores vidiſſe expreſſis verbis indicat. Ill. Stolle a) manuum genuumque tumores dolentiſſimos obſervavit et nullam vermium mentionem fecit, imo et ſigna ſordium in laborantibus non aderant. In noſocomio Goettingenſi, cui praefecti ſunt Ill. Richter et Ill. Stromeyer Praeceptores mei maxima pietate colendi, vidi puerum pleuroperipneumonia bilioſa laborantem. Circa decrementum morbi pollex eius dexter et helix auriculae dextrae tumore eryſipelatoſo affecti erant, qui in puſtulas pure dein repletas tranſiit. Puer reſtitutus eſt, et neque in decurſu morbi nec poſtea ullum ſignum adfuit, de quo vermes ſuſpicari potuiſſem.

§. XIII.

Signa ab invaſione, decurſu, modo et vehementia ſymptomatum in febribus verminoſis.

Praeter ſigna anamneſtica, quorum plurima ex enumeratione cauſarum deſumi poſſunt, et multa diagnoſtica, ex iam expoſitorum numero, quorum ſaltim nonnulla adeſſe poſſunt, ſequentia addi debent a καταστάσει morbi febrilis deſumta. *Initium febrium*, quae ſaepe lentarum inſtar ingrediuntur, frequenter *mitius*, ſed ipſae inſidioſae ſunt. Nam mox augentur ſymptomata; alia ſuperveniunt, acceſſiones vehementiores evadunt et febres non raro malignarum formam induunt. *Exacerbationes febrium verminoſ. veſpertinae*; quem periodum etſi teneant, interdum tamen irregulariter invadere ſolent. Hinc accidit, ut earum typi ſint

z) l. m. c. p. 202. a) l. c. Tom. I. p. 19.

ſint inconſtantes, viciſſim alternantes, vel duplicatis paroxyſmis incedentes. Bene igitur monet Clar. Wasserberg *b*): "moni-„tos vellem iuniores medicos, ut in morbis, qui ſubinde miri, „maxime ametri et vix non ſuperabiles videntur, ad hancce cau-„ſam (ſcil. vermes) reſpiciant. Iis ſignis quoque annumeranda ſunt *ſymptomata inſueta* inordinata, neque inter ſe, neque febris indolis reſpondentia. Probe itaque docet Cel. Klein *c*): "in febribus de lumbricis cogitandum eſt, quoties illae, quo ad alia „ſigna, ſatis mites videntur, nihilominus tamen extremitates ad-„parent frigidae; diarrhoea non nimia ſed intempeſtiva excita-„tur; ſanguis e naribus ſtillat, ἐφιδρῶσι corpus madet et ſigna „quaſi pugnantia occurrunt." Et alio loco *d*): "Si in acutis circa „dies criticos inſueta incidant ſymptomata, de vermibus inter „alia quoque cogita; aeque reliquo tempore." Cel. Fr. Hoffmann *e*) loquens de variolis et morbillis: "ego, inquit, non raro „ſpasmodicas artuum tractiones, cum ἀφωνίᾳ, ventris tormini-„bus et nimia ſalivatione concitatas novi, quae nunquam ſubſe-„cutae fuiſſent, niſi verminoſa progenies anſam ſuppeditaſſet."

Eodem referantur *perduratio ſymptomatum* et *vehementia*, conſuetis non auſcultantium pharmacis, quod exemplo docemur ab Ill. Morgagni *f*) relato. Iuvenis duntaxat pleuritidis indiciis affectus, cum ab iis, quae ceteros iuvare pleuriticos ſolent vel peius ſe haberet, denique reiecto inter vomitum ſanguineum terete lumbrico ſtatim ab iis omnibus liber eſt factus. Similem obſervationem narrat, Cl. Lenting *g*). Incaſſum enim adhibuit medi-

b) In de Haen praelect. in H. Boerhaav. inſtit. path. l. c. p. 45.
c) l. c. p. 306.
d) l. c. p. 81.
e) Opera omnia T. III. p. 483.
f) l. c. Epiſt. XXI. Nro. 43.
g) l. c. obſ. 22.

medicamenta pleuritidi accommodata, anthelminthicis vero derepente aegrum curavit. Praeterea *nullum* vel *parvum levamen* ſymptomatum ab evacuatione alia, praeterquam alvi cum vermibus. Inde omnes criſes praeter alvinam cum vermibus imperfectae ſunt. *Sudores* quoque *ſymptomatici*, frigidi, copioſi, inaequales, inconſtantes, per breve tantum tempus interdum allevantes, nunc noxam adferentes, plerumque ſine praevio rigore, ſubacidi, putridi. His denique addi poteſt, quod BAGLIVIVS dixit *h*). Sanguinis ſtillae e naribus in febribus continuis, nonnunquam vermium latentium ſigna ſunt.

§. XIV.
Excretio ipſorum vermium.

"Certiſſimum, inquit WEDELIVS, eſt ſignum, ubi cor„pus delicti adeſt;" quod vero variis viis apparere poteſt. Excernuntur enim vermes per os, nares et, quod frequentius accidit, per anum eiiciuntur. Non meum eſt hic enarrare vias reliquas, quas ſibi faciant; quod nempe perforent inteſtina, dilabantur in cavum abdominis, mentiantur hernias, perforatis inteſtinis integumentisque abdominis prodeant in lucem etc. De his conferantur celeberr. virorum ſcripta eximia, nimirum, VAN SWIETEN *i*), FORESTVS *k*), BALDINGER *l*), V. DOEVEREN *m*).

Per os quidem *vel* vi et vomitu prodeunt, quem praecedunt atque comitantur nauſea, titillatio quaedam cardiae et oeſophagi, ſalivae affluxus cum immani angore et cruciatu, ita ut inter-

h) l. c. p. 60.
i) l. c. T. IV. §. 1366. p. 717.
k) l. c. lib. VII. obſ. 37. et lib. XII. obſ. 26. in ſchol.
l) l. c. p. 406.
m) l. c. p. 225 ſeq.

interdum aegri fere ſtrangulari videantur. Quae omnia reiectis vermibus evaneſcunt. Memorabilis eſt hiſtoria, quam Fr. Hoffmann *n*) narrat, quod puero decem annorum pulvis laxans ex mercurio dulci et radice Ialappae datus, vomitum attulerit, qui parentes non modice terrebat. Suffocatio enim omnino imminebat puero, quum impactum gulae lumbricorum glomus, multa viſcida materia obvolutum, tarde procederet. Et forte ſuccubuiſſet puer, niſi ipſum pedibus apprehenſum tenuiſſent, et mater dorſum manibus concuſſiſſet: quo facto ſemimortuo puero vita rediit, elapſa per os ſaburra tenaciſſima ranarum ſpermati ſimillima, cui maiores minoresque lumbrici erant immixti.

Vel ſubinde ſine vomitu vermes ſua ſponte inter nauſeam et ſalivae aquoſae affluxum ex ſtomacho in fauces aſcenſum moliuntur, atque digitis capti proiiciuntur, ſive hiante ore ipſi proſiliunt *o*). Non minus quoque *per nares* exeunt; clauſo enim ore dormientibus per palati cavum in nares prorepunt, foraſque prodeunt; ut nos, Foresti verbis utor, ſaepe vidimus *p*).

Per *anum* tandem vermes ſaepiſſime eliminantur, modo ſolitarii, modo in faſciculos implicati, aut in glomera collecti, interdum ſine ſordibus, ut plurimum vero cum excrementis. Tunc quidem aut vivi eiiciuntur tam ſine ullo incommodo, quam cum alvi vellicatione et irritatione; aut mortui, vel conquaſſati et emaciati, vel denique in inteſtinis diſſoluti per alvum auferuntur. Plerumque, narrat Fr. Hoffmann *q*), vermes non excernuntur, ſi febris iuncta fuerit, quia aeſtu febrili diſſolvuntur in putridum magma.

Quod-

n) Suppl. II. P. 2. p. 603.
o) cf. Forest. l. c. lib. 21. obſ. 26 in ſchol.
p) ibid.
q) l. c. T. II. p. 187.

Quodſi itaque vermes ſurſum vel deorſum prodierint, credere poſſumus, plures adhuc latere in corpore, ſi eadem ſymptomata manent et augentur. Nihilominus et in hoc caſu bene attendere nos oportet. Etenim ſunt quaedam ſymptomata, quae naturae ſive iis aſſuefactae, ſive etiam debilitatae, impreſſa remanent; qualia ſunt ſpasmi, epilepſia etc. Fr. Hoffmann *r)* in aphonia verminoſa cum anthelminthicis interne adhibitis etiam roborantia collo imponebat, ad ſuppetias inferendas partibus a ſpasmis debilitatis. Ill. v. Swieten *s)* nos quoque ſapientiſſime docet: "quandoque obſervatum fuiſſe, expulſis iam ver-„mibus quaedam adhuc manere ſymptomata, quae vermibus „imputari poſſent. Sic toties contigit, epilepſiam a vermibus „productam, ſi frequentes iam fuerint paroxysmi et validi, ma-„nere vermibus ablatis. Manet tunc in ſenſorio communi toties „et tam valde turbato, character ille epilepticus." Hanc cautelam et de febribus verminoſis valere poſſe reor. Maximi momenti hoc monitum habuere cel. auctores. "Cum enim, dicit van „Swieten *t)*, in cura validis purgantibus opus ſit, minime „tutum foret, corpus per haec emulgere ulterius, ſi non vermes „ſed leviora tantum ſymptomata ſupereſſent." Cui quoque aſſentit Fr. Hoffmann *u)*.

r) l. c. T. III. p. 250.
s) l. c. T. IV. p. 721.
t) l. m. c. p. 722.
u) l. c. T. III. p. 492.

E R R A T V M.

p. 8. lin. penult. pro: quid, lege: *qui dicit.*

THE-

THESES.

I. *Vermes inteſtinorum et ſanitas perfecta una conſiſtere in corpore humano nequeunt.*

II. *Difficillimum eſt determinatu, quando vermes cauſa, quando comites tantum febrium, exiſtant.*

III. *Motus retrogradus fluidorum in vaſis lymphaticis locum habere poteſt in ſtatu morboſo, et reapſe habet.*

IV. *Syſtema aegritudinum affinitati cauſarum ſuperſtructum, tam diſcentibus, quam medentibus, commodiſſimum eſt.*

V. *Bilis, quae in morbis vi emeticorum eiicitur, non ſemper morboſa eſt.*

VI. *Mercurius licet in curanda lue venerea palmam omnibus reliquis praeripiat: non ſingulis aegris tamen idem mercuriale convenit, nec ſemper in uno eodemque ſymptomate idem confert. Mutatur quoque aliquando tempore et medicatione morbus ita, ut imbelle alias viſum vegetabile ipſo mercurio fortius exiſtat.*

VII. *Doctrina Hippocratica de criſibus et metaſtaſibus in morbis tam acutis quam chronicis ſumme neceſſaria eſt medico tam theoretico quam practico.*

VIII. *Abſceſſuum ad nervos fons in unaquaque corporis parte, non in ſolis hypochondriis, quaerendus eſt.*

IX. *Conſenſus partium, pro indigentia artis probe gnarus eſſe poteſt medicus, etiamſi nomina minutiſſimarum partium, per quas ille fiat, ignoret.*